



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvrgensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Diethramszell.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

XXXIX. Dn. Scolastica Holtzböckin *eligitur an. 1575. tenuit reg. an. 2.*

XL. Dn. Barbara Sternin *elect. an. 1577. rexit an. 29.*

XLI. Dn. Genoueva Rettin *elig. an. 1606. praefuit hebdomadis 39.*

XLII. Dn. Anna Maria im Hof *hoc ipso anno 1619. feliciter praefst.*

Sequuntur Abbatissæ quarum nomina reperiuntur quidem in Calendario defunct. sed de his praterea nihil habetur.

- I. Dn. Adalberta.
- II. Dn. Irmelgardis.
- III. Dn. Hildegardis.
- IV. Dn. Hildvvig.
- V. Dn. Hildburgis.
- VI. Dn. Wertha.
- VII. Dn. Kunegunda.
- VIII. Dn. Bichburgis.
- IX. Dn. Tutta.
- X. Dn. Scolastica.
- XI. Dn. Berchtrat.
- XII. Dn. Hedtvvig.
- XIII. Dn. Richnissa.
- XIV. Dn. Wervvig.
- XV. Dn. Ottilia.
- XVI. Dn. Richkardis.
- XVII. Dn. Mechtildis.
- XVIII. Dn. Anna.
- XIX. Dn. Gertrudis.
- XX. Dn. Geissula.
- XXI. Dn. Irmenthraudt.

DIETHRAMSZELL.

IVXTA Isaram Monasterium S Augustini Canonicorum regularium. Anno 1099. tempore Urbani secundi, imperante Henrico quarto, regni eius XLIII. duo pij & deuoti viri, Otto & Berengerus cum quodam venerabili Sacerdote Diethramo, maioris deuotionis & pietatis causa in eremum, Eglingerfurt nomine, secesserunt. Cum verò ibi duos annos mansissent, propter aquæ penuriam domicilia sua ad riuum eiusdem syluæ transfulerunt & Ecclesiam eodem in loco, in honore S. Martini, extruxerunt. Cum verò inter Dominos aliquos eodem tempore de terminis & finib. eius syluæ contentio oriretur, Otto Comes de Diessen, cum duobus filiis suis, Ottone & Henrico, Abbas Vdalscalcus de Tegernsee, cum Aduocato suo, Reinpertus de Reut, cum fratribus suis, Ruperto, Adalberto, & Liebhardo, & alii plures conuenerunt; è quorum numero duodecim huius negotij arbitros elegerunt, qui dato iuramento, limites vnique parti proprios designarunt, & hanc syluæ partem tanquam vacantem possessionem iudicarunt: cui decisioni & transanctiõni fratres de Reut nequaquam stare voluerunt. Interim Dei omnipotentis instinctu mutati, omnes concorditer prædictam syluam non solum vacantem, verum etiam cuique parti addictâ ad Monasterium deputarunt, quin etiam alios vicinos fundos ac bona pro ædificatione Monasterij tradiderunt. Dominus Diethramus missus est Romam, & à Paschali

Pascali Pontifice confirmationem huius rei obtinuit, Anno 1107. Ex qua intelligitur, prædictos Dominos hoc Cœnobiolum simul fundasse, & multis donis auxisse.

In veteribus autem Tegernseensis Monasterij litteris legitur, quod Vdalscalus Abbas cum consensu sui Conuentus & Heinrici Episcopi Frisingensis. Item Comitum, Bernhaldi & Sibothonis in Neuburg, Aduocatorum Monasterij sui ex quorum familia & iste Abbas erat, Cœnobiolum hoc, cella sancti Martini dictū, iuxta regulam S. Augustini, in fundo proprio, qui Elingerfurt, alias Klingenreut dicitur, ædificauerit, ea lege, vt Monachis potestatem permitteret eligendi sibi Præpositum, cum consilio tamen Abbatis in Tegernsee, à quo electus possessionem temporalium accipere debebat, eumque propter insignia beneficia, tanquam filia matrem venerari; cæterum in spiritualibus Episcopo subiici deberet.

ET HUIUS Monasterij primus Præpositus fuit Diethramus, à quo Cœnobiolum nomen Diethramszell obtinuit: Testes harum litterarum citantur, Comes Sigbotho; tanquam Aduocatus, Wernhard de Stoffe, Otto de Gruobe, Vdalscalus & Richardus de Hochenberch, Anno Domini 1102.

ANNO 1156. Otto Episcopus Frisingensis, cum adiutore Episcopo Brixinensi Hermanno consecrauit hoc Monasterium.

Otto Episcopus Frisingensis confirmauit etiam hoc Cœnobiolum, Anno 1190. in cuius litteris hi Nobiles citantur Testes, Henricus de Brucke, Henricus à Ramingen, Berchtoldus de Vagen; de ministerialibus Episcopi Henricus, scilicet puer, *das selig Kinde* Geruich de Bubenhausen, Adilold de Dormbach, Eberhardus de Werdi, & filius eius Eberhard, Hartuicus de Richoluestorf, & filius eius Otto, Otto de Pasingen, & frater eius Henricus, Vricus Fertinch, Alanus de Elpach, Otto de Herberchingen, Henricus de Sibotho de Wacharingen, Arnold de Herbrechthausen, Alanus de Reichenspuirn. Datum Frisingæ, vt supra. Hoc Cœnobiolum satis iam inops est, propter incuriam quorundam Præpositorum.

ADDITIONES.

ANNO Domini Millesimo nonagesimo nono. Sedente in Apostolica sede *Vrbano* secundo, Pontificatus autem eius anno decimo, Imperante *Heinrico* quarto. Regni autem eius quadragesimo tertio. Quidam *Otto* & quidam *Berengerus* pro æterna mercede Pompas mundi spernentes cum quodam Sacerdote valde venerando nomine *Diethramo* in quandam syluam se contulerunt, secus locū qui tunc *Eglingerfurt* dicebatur, & ibidem duos annos continuauerunt. Post hoc autem, anno incarnationis millesimo centesimo translulerunt sua domicilia propter aquæ penuriam ad riuum qui erat in eadem sylua, ibique Ecclesiam in honorem S. *Martini* ædificauerunt. Eodem verò tempore orta est contentio de terminis & limitibus eiusdem syluæ. Quam propter dirimendam litem conuenerunt, Comes *Otto de Dieffen*, cum duobus filiis suis *Ottone* & *Henrico*, Abbas *Vdalscalus* cum Aduocato suo, *Reimbertus* de *Rute* cum fratribus suis *Ruperto* & *Adelperto* & *Liebharto*, cum multis aliis, de quibus duodecim sunt electi, quorum noticia maiori certitudine æstimabatur: qui tactis sacrosanctis Euangeliis iurauerunt se certos limites ostensuros, sed eorum testimonio inuenta est supra dicta sylua quasi vacans possessio. Sed sæpe dictus *Reimbertus* cum fratribus suis in contentione persistentes, prædictæ descriptioni non consenserunt. Mutatione atem dexteræ *Excelsi* omnes maturiori vsi consilio, diuino

Ex libr.
Tradit M.
Scum que
concordat
M. G. E.
Monaste-
riis.

al. finib.

Metrop. Salisb. Tom. II.

Y

cultui

cultui tradiderunt, quicquid iuris possent per contentionem obtinere. Insuper & dexteram dederunt, quod præfatum Cœnobium simul omnes fouerent, manutenerent atq; ab iniuriantium manib; defenderent. Eodem etiam die sæpe dictus *Reimbertus* cum fratribus suis tradidit prædicto Oratorio tantum circum adiacentis terræ, quod plenè posset Hubam nobilis viri complere. Similiter & Comes *Otto* cū filiis suis, & Abbas cum consensu Aduocati & suorum Monachorum, contulerunt eidẽ Cœnobio, quod ipsis fuerat assignatũ. Et vtriusq; possent perpetua firmitate constare, decreuerunt prægnatica sanctione confirmare. Quapropter direxerunt prouisorem eiusdem Cella ad Dominum Papam *Pascalem* secundum petentem muniminis sui tuitionem. Qui plenè ipsorum petitionem suscepit, & statuit vt quæcunq; prædia, quæcunq; bona per supra dictum Abbatem aut per eius successorem, vel per alios fideles concessa sunt, vel in futurum donatione Pontificum, liberalitate Principum, oblatione fidelium iuste illic dari offerriue contingerit, firma ipsis ipsorumque successoribus permaneat concessa. Acta sunt hæc VII. Idus Aprilis, Anno Dominica incarnationis Millesimo centesimo septimo. Contracto vero temporis consilio, & auxilio prædictorum Dominorum, venit idem Sacerdos ad Dominum Apostolicum *Kalixtum* secundum, qui concessa prædecessoris sui *Paschalis* secundi suo Priuilegio confirmauit, & quædam adiecit, quæ in eius Priuilegio plenius inueniuntur. Factum est autem hoc anno M. C. XXIII. Pontificatus autem eius anno quarto, regnante *Heinrico* quinto, anno regni eius XVII. Omnia etiam hæc *Innocentius* secundus Papa suo Priuilegio confirmauit.

Anno Millesimo centesimo quinquagesimo sexto. VIII. Kal. May, dedicatum est Monasterium in *Celle* à Venerabili Episcopo *Frisingensis* Ecclesiæ *Adelberto*, cooperante sibi *Hartmanno Brixinensi* Episcopo in honore Sanctæ *Trinitatis*, Sanctæ *Mariæ* virginis, Sanctorum Apostolorum *Philippi & Iacobi*, Sancti *Martini* Episcopi & *S. Walpurgis* virginis & aliorum plurimorum sanctorum Martyrum, confessorum atque virginum, sub *Adriano* quarto Papa, regnante *Augusto Cæsare Friderico* primo.

Defundatione Monasterij Cellæ Dietrami in Cronica Monasterij Tegernsee ita scriptum inuenitur.

VDALSALCVS patris memoriæ huius Cœnobij Abbas, qui Venerabili Abbati *Eberhardo* successit, diuinitus inductus, consensu Dñi *Hainrici Frisingen* Ecclesiæ Episcopi, & coniuētia matriculariũ aduocatorum nostrorũ *Bernardi de Grube* & *Sigibitonis* Comitis de *Neunburgk*, & astipulatione huius congregationis, ministerialiũ huius Ecclesiæ, fundauit *Cellam* ac Prælaturam in *Allodio* huius Monasterij, in loco qui *Eglingerfurt* dicebatur, collectis ibidem religiosis personis ad diuini seruitij cultum, dotauitque eandem Ecclesiam de sui Monasterij possessionibus, præficiensque huic titulo Præpositum huic Ecclesiæ filium *Dietrammũ* de institutione futurorum Præpositorum, coram Domino *Frisingensi* Episcopo *Hainrico* & eius Capitulo, conlaudanteque primo Præposito *Dietramo* & cū collectis sibi personis sic diffinitum est, & priuilegio confirmatũ: vt obeunte Præposito, fratres eiusdẽ Ecclesiæ consensu & consilio Abbatis Præpositum sibi eligant & electus possessionem & inuestituram temporalium ab Abbate *Tegernsee* accipiat, Dño *Frisingensi* Episcopo in spiritualibus respondeat. Acta sunt hæc incarnationis Domini anno M. C. II. Indict. x. Episcopatus Domini *Hainrici* quinto. Quod Priuilegium ex post, pro improbitate quorundam Præpositorũ se à dicta obedientia

obedientia eximere quarentium, tam Apostolica quam Imperiali auctoritate est confirmatum. Primò Anno Domini MCVII. Confirmatum est à *Paschali* Papa secundo. Secundo à *Calixto* II. Tertio ab *Honorio* II. Quarto à *Gregorio* VIII. Ab *Ottone* II. Episcopo *Erisingensi*, ab *Innocentio* Papa III. ab *Honorio* III. ab *Alexandro* IV.

Hæc sunt prædia quibus *Cella* beati *Martini* dotata & ditata fuit à *Tegernseensis* Ecclesiæ Abbatibus, quorum quædam ministerialibus in beneficiata & Abbatibus resignata per manus Abbatum transferunt in possessionem prædictæ Ecclesiæ, alia autem largitione Abbatum & oblatione fidelium *Tegernseensium*, eo quod eadem Ecclesiæ à *Tegernseensi* Cœnobio fundata esset, conniuentia Abbatum collata sunt.

Eglingsfurt cum sylua, simul cum *Alodiis* Dni *Molsoldi* de *Riedt* ministerialis Ecclesiæ nostræ, quæ prædia in dotem data sunt eidem Ecclesiæ à *Venerabili* Abbate nostro *Valschalco*, in quibus etiam titulus fundatus est sub *Paschali* Papa II. Cæterum regnare *Henrico* Imperatore quarto, temporibus *D. Henrici* primi *Erisingensis* Ecclesiæ Episcopi. Prædia in *Kaperzhouen*, quæ cœcabitur lunt cū prædio in *Geekē* bunt quod erat cuiusdam ministerialis foeminae huius Monasterij Prædium in *Prunnen*. Prædium in *Grammsdorff*. Prædium in *Puchen*, *Wizendorff*, quod venditum est per concambium pro prædio *Piburg*. Prædia *Anzenharde*. Prædium *Perchaim*. Prædium *Pistofshouen*. Prædium iuxta *Snaite*. Prædium in *Hagenach*. Prædium in *Pillunshofen*. Item duo prædia in *Pistofshouen*. Item prædium *Hagenach*. Prædium *Imaningen*. prædium *Talbaim*, prædium iuxta *Aichelsvanch*. Prædium *Helfendorff*. Prædium *Siebohesprum*. Prædium Dni *Vdalrici* clerici de *Eglingen* in *Harde*. Prædium Dni *Werner* de *Parvorn* in *Aschotingen* duo prædia, & V. mancipia.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego *Hainricus* Dei gratia sanctæ *Erisingensis* Ecclesiæ Episcopus, ex petitione dilecti filij nostri *Dadascalci* Abbatis *Tegernseensis* Monasterij, vniuersitati fidelium tam præsentium quam futurorum in sinu, quod præfatus Abbas consensu nostro ac totius Capituli, & assiduatione *Bernardi* & *Sigibroni* de *Neuvenburg* aduocatorum sui Monasterij, & consilio & conniuentia suæ congregationis & ministerialium suorum in *Alodio* eiusdem Monasterij quod *Egelingareit* dicebatur, collectis fidelibus acq. religiosis personis ad diuinæ religionis cultum, *Cellam* beati *Martini* laudabiliter instituit, Ordinem secundum Regulam *S. Augustini* inuiolabiliter ibidem obseruari constituit. Possessiones quibus ipse eandem Ecclesiæ dicitur eum oblationibus fidelium, quas eadem Ecclesiæ consequi posset visibus fratrum ibidem Deo seruientium deseruire concessit. De institutione verò præpositi, nobis adiuuante & præposito *Dietrammo* presente, ita ordinauit, vt obeunte Præposito fratres eiusdem Cellæ consilio & consensu Abbatis concorditer sibi Præpositum eligant & electus possessiones & inuestituram temporalium ab eo accipiat, nobis autem de spiritualibus respondeat. Et vt hæc institutio in futuris temporibus firma & inconvulsa permaneat, sigilli nostri impressione iussimus insigniri. Acta sunt hæc apud *Waringer* XV. Calend. Nouemb. Anno Domini in incarnationis M C II. Indict. X. Anno Episcopatus nostri V. Huius rei testes sunt de Canonis matricis Ecclesiæ *Hainricus*, *Vichmannus*, *Herrandus*, de parochialibus eiusdem Monasterij *Veringher* de *Varinger*, *Vdalricus* de *Harpenigen*, *Gerbicus* de *Gmunden*. De nobilibus *Sigiboto* aduocatus, *VVerinhart* de *Stofse*, *Otto* de *Grube*, *Vdalschalt* & *Rihher* de *Hohenberch*. De ministerialibus Ecclesiæ *Rudolf* & *Otto* de *Riholuestorf*, *Egmo* de *Dietpreheschirchen*, & filius eius *Ambrius*, *Vdalricus*, *Hainricus* & duo filij eius, *Sigimar* & *VVolsolt* de

VVachergen. Sigibo, Ekkehart, Hainrich VVerinher de Harpenigen, Pilgrini Megenh Dufhouerij, & alijquam plures.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otto Dei gratia *Frisingensis* Episcopus secundus. Quæ à fundatoribus venerabilium locorum seu Ecclesiarum iuste & religiose instituta sunt, vt futuris temporibus maiori firmitate conualescant, dignum duximus ea litteris mandare, ne quod venerabiliter institutū est, vel obliuio deleat, vel incuria prauorum hominum subuertat. Ea propter vniuersis in Christo filiis & fratribus nostræ Diocesis, Abbatibus, Præpositis, Decanis, & vniuersis sub eorum regimine degentibus, cunctisque Christi fidelibus futuris & præsentibus significamus, quia accedentibus nobis ad Episcopalem dignitatem, motum est verbum in consilio nostro, quod Ecclesia, quæ cella beati *Martini* dicitur ad nostrum spectaret Episcopatum. Curationi se Abbas *Tegernseensis* Monasterij *Rupertus* opposuit, & eandem Ecclesiam, eo quod in fundo & de fundo *S. Quirini* fundata & ditata esset, priuilegiis & sufficienti ratione obtinuit. Nos verò quos decet praua corrigere, iustitiâ diligere, non infringere pulsante iustitia, nec nõ pro dilectione fratris nostri *Manigoldi* eiusdem Monasterij Abbatis, vtriusque enim intuitu animum ab insolita vexatione reuocauimus & ea quæ religiose instituta sunt, auctoritate nostra confirmamus, & præsentis scripti priuilegio communimus; ita videlicet, vt sicut in principio tempore *Heinrici* antecessoris nostri institutū est, & electio Præpositorū prædictæ Cellæ ad consensum & consilium celebretur Abbatum *Tegernseensis* Monasterij, & electi possessiones & inuestituram temporalium ab eis accipiant, & omnem honorē & reuentiam, quam filia matri pro exhibitione multiplicis gratiæ, & iure foundationis exhibere debet, exhibeat, nobis de spiritualibus responsuri. Acta sunt hæc conuentionia rotius Capituli *Frisingensis* Ecclesiæ, & ministerialium in villa quæ *Laneskirchen* dicitur, Anno incarnationis Dominicæ M. cxc. Indiæ. viii. Anno verò Episcopatus nostri sexto. Regnante Frederico Imperatore Roma. Augusto. & filio eius *Hainrico* feliciter. Amē. Testes de choro *Frisingensi*, *Berchtoldus* Decanus, *Ortvinus* *Slierfensis* Præpositus, *Fridericus* *Wertsedinus* Præpositus, *Cunradus* *S. Viti* Præpositus, *Cunradus* Custos, *Hainricus* Scolasticus, *Eberhardus* de *Schlierse*. De nobilibus, *Hainricus* de *Brucke*, *Hainricus* de *Rainigen*, *Berchtoldus* de *Vagene*. De ministerialibus, *Hainricus* *Felix* puer, *Geruicus* de *Pubenhausen*, *Adiloldus* de *Dorinbach*, *Eberhardus* de *Werde*, & filius eius *Eberhardus*, *Haruicus* de *Richolfelsdorff*, & filius eius *Otto*. *Otto* de *Pasingen*, & fratres eius *Hainricus*, *Vricus* *Ferrinch*, *Alanus* de *Elhpach*, *Otto* de *Herberchingen*, *Hainricus* & *Siboto* de *Wacharingen*, *Arnoldus* de *Herberhteshusen*, *Alanus* de *Richerspurn*, & alij quam plures. Datum *Frisingæ* per manum *Gottfridi* Notarij xviii. Kl. septēbr.

Signum Domini *Otonis* *Frisingensis* Episcopi,



GREGORIUS Episcopus seruus seruorū Dei. Dilecto filio *Tegernseensi* Abbati, Salutē & Apostolicā benedictionē. Iustis petentiū desideriis dignū est nos facile præbere consensū, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectū præ-

prosequente complere. Ea propter dilecte in Domino filii, tuis iustis postulationibus grato concurreres assensu; Priuilegium quod venerabilis frater noster *Frisingensis* Episcopus super quodam Monasterio in fundo Ecclesie tue, & in sua Diocesi constituto pia consideratione inductus, cœnobio tuo concessit, sicut Canonice factum est, & vsque ad hæc tempora pacifice obseruatum, tibi & Ecclesie tue auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursum. Datum apud *Formium* 11. Kal. Decemb. Indiēt. vi.

Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio *Tegernseensi* Abbatii, Salutem & Apostolicam benedictionem. Iustis petentium desideriis dignum est nos facile præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Ea propter dilecte in domino filii tuis iustis postulationibus grato concurrentes assensu, Ecclesiam S. *Martini* quam bonæ memoriæ *Dedaschalchus* prædecessor tuus in fundo Monasterij fundasse dicitur, & dotasse, tibi & Monasterio tuo, sicut eam iuste & pacifice possides, auctoritate Apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum *Anagnina* xi. Calend. Ianua. Pontificatus nostri anno sexto.

Formium.

Honorius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conuentui Monasterij de *Tegernsee*, Salutem & Apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana Ecclesia deuotos & humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, & ne prauorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confouere. Ea propter dilecti in Domino filij, uestris iustis postulationibus, grato concurrentes assensu, personas uestras & locum ipsum, in quo diuino estis obsequio micipati, cum omnibus bonis quæ in presentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum iustis modis præstante Domino poterit adipisci, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem Ecclesiam sancti *Martini* de *Cellis*, quam cum pertinentiis suis Canonice vos proponitis assécutos, sicut eam iuste canonicè ac pacificè possidetis, uobis & per uos ipsi Monasterio uestro auctoritate apostolica confirmamus & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum *Lateran.* xviii. Calend. May. Pontificatus nostri anno septimo.

Honorius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conuentui de *Tegernsee* salutem & apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod iustum est & honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in domino filij uestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas uestras & locum in quo diuino estis obsequio micipati cum omnibus bonis, quæ in presentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis præstante Domino poterit adipisci, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem Ecclesiam Sancti *Martini* de *Cellis* cum pertinentiis suis,

Metrop. Salisb. Tom. II.

Y 3

quam

quam vos affectis canonicè affectos, sicut illam iustè canonicè ac pacificè possideris, & in instrumento exinde confecto plenius continetur, vobis, & per vos Monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communitimus. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemperare præsumperit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum. Datum *La-*
seram IV. Nonas May, Pontificatus nostri anno septimo.

CATALOGVS PRAEPOSITORVM MO-
NASTERII DIETRAMBSCELL.

- I. Dietrachus fundator Monasterij D.
- II. Conradus.
- III. Albertus.
- IV. Engelmarus.
- V. Wolfscalcus.
- VI. Otto.
- VII. Henricus.
- VIII. Vdalricus.
- IX. Otto.
- X. Eberhardus.
- XI. Arnoldus.
- XII. Conradus.
- XIII. Ortolphus.
- XIV. Vdalricus.
- XV. Reinardus.
- XVI. Rupertus.
- XVII. Conradus.
- XVIII. Vdalricus.
- XIX. Henricus.
- XX. Eberhardus.
- XXI. Conradus.
- XXII. Henricus.
- XXIII. Ioannes.
- XXIV. Liebhardus.
- XXV. Ioannes.
- XXVI. Ambrosius.
- XXVII. Ioannes.
- XXVIII. Augustinus.
- XXIX. Wolfgangus.
- XXX. Augustinus.
- XXXI. Wolfgangus.
- XXXII. Leonardus.
- XXXIII. Casparus.
- XXXIV. Ioannes.
- XXXV. Paulus *Hirschhütter.*
- XXXVI. Wolfgangus Carl.
- XXXVII. Casparus *modernus Praepositus.*